

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3526

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Ouen-l'Aumône, Notre-Dame-La-Royale ou Maubuisson (abbaye)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1256, février

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

En vidimant leur charte, Louis [IX], roi de France, confirme la vente faite par l'abbesse et les religieuses de Notre-Dame-La-Royale des terres de la forêt de Breteuil à l'évêque J[ean] et au chapitre d'Évreux pour 5 000 livres tournois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 540, p. 98-99.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gracia, Francorum Rex, universis presentes litteras inspecturis, salutem. Notum facimus quod nos litteras dilectorum nostrarum abbatisse et conventus Beate Marie regalis juxta Pontisaram vidimus in hec verba : Universis presentes litteras inspecturis, Maria Beate Marie Regalis juxta Pontisaram humilis abbatissa totusque ejusdem loci conventus, eternam in Domino salutem. Notum facimus quod nos de communi assensu nostro pro quibusdam aliis possessionibus et redditibus utilioribus et propinquioribus emendis et nostro monasterio acquirendis, ducentas quinquaginta libratas anni redditus, domo et herbergamento in hoc computatis, quas habebamus in villis, terris, hominibus, redditibus, justiciis et aliis in foresta Britolii, de dono et concessione ac elemosinatione Ludovici, Dei gracia, Regis Francorum illustrissimi, in locis inferius annotatis : videlicet, apud Longam maram in parrochia Beati Xpistofori, nongentas sexaginta decem et octo et dimidiam acras terre et quadraginta tres perticas terre, traditas pro novies viginti quatuordecim libris et quindecim solidis turonensium ; item, apud Pontem Tyboudi, quadraginta tres acras traditas pro sex libris et quindecim solidis turonensium ; item, apud L'Ouraille septies viginti et septem acras et unam virgatam, traditas pro decem et octo libris octo solidis et duobus denariis turonensibus ; item, apud Desertum, sexaginta quinque acras traditas pro tredecim libris turonensium ; item, apud Maras juxta Quercum, octoginta acras et dimidiam, traditas pro sexdecim libris duobus solidis turonensium, de quibus Martinus de Quatre Vouges tenet viginti acras et dimidiam, venerabili patri J., Dei gracia, Ebroicensi episcopo et Ebroicensis ecclesie capitulo vendidimus et nomine vendicionis concessimus et omnino in perpetuum quitavimus pro quinque millibus libris turonensium, volentes et concedentes quod episcopus et capitulum supradicti ea omnia que in dictis locis habebamus absque ulla nostri seu nostrorum reclamatione possideant et habeant et in perpetuum teneant, libere pacifice et quiete, sub eisdem liberalibus condicionibus, juribus sub quibus dominus Rex ea nobis contulerat, qui nichil ibi retinuit, sicut in suis litteris, quas habemus, continetur, nisi justiciam corporum hominum et membrorum De supradicta vero summa pecunie episcopus et capitulum supradicti nobis satisfecerunt in pecunia numerata. Ut autem hec omnia perpetue robur obtineant firmitatis, sigillum nostrum in pleno capitulo nostro presentibus litteris duximus apponendum, supplicantes domino

Regi ut laudare approbare et confirmare dignetur vendicionem supradictam. Actum in monasterio nostro anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto mense februarii.  
Nos autem, qui in predictis nichil nobis aut heredibus nostris preter justiciam corporum hominum et membrorum retinueramus, vendicionem predictam, prout superius continetur ad petitionem dictarum monialium volumus et concedimus et auctoritate regia confirmamus, salvo jure alieno. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, mense februarii, regni vero nostri anno tricesimo, astantibus in pallatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; Signum Johannis Buticularii ; Signum Alfonsi Camerarii ; Signum Gilonis Constabularii.